

**Assertiones Philosophicæ Fusius Deductæ Philosophiæ
Peripateticæ communioris Epitomen exhibentes**

Leuren, Peter

Coloniae Agrippinae, 1681

xlii [i.e. ii]. Vis significativa signi naturalis est naturalis ejus connexio cum
re significata.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-71607](#)

tantum à libera hominum voluntate & institutione vim significativum habet, ut hædora vini venalis. Item aliud est remorativum, quod rem præteritam dicit in memoriam, ut crux crucifixionem Christi. Aliud prognosticum, quod rem futuram significat, ut serò rubens cœlum cras indicat esse serenum; aliud demonstrativum, quod rem præsentem significat, ut fumus ignem. Item aliud practicum, quod rem, quam significat, etiam producit, ut Sacra menta gratiam; aliud Theoreticum, quod rem tantum significat. Denique aliud sensibile, quod cadit sub sensum, aliud spirituale, ut character Sacramentalis.

II. Ratio formalis vel vis significativa signi naturalis est naturalis connexio, quam habet cum re significata: signi verò ex instituto vis significativa non est res, nec modus intrinsecus rei, quæ signum dicitur; quid enim hæc vox *homo* habet sibi intrinsecum, quare potius hominem, quam lapidem significet? sed est ipsa instituentium res vel voces volitio, sufficenter aliis declarata, acceptata & moraliter perseverans, his enim positis habet res.

res, quæ signum dicitur, vim excitandi intellectum audientis vel videntis ad cognoscendum rem significatam; aliquo eorum sublato, non habet. Hinc, qui cognoscit signum formaliter reflexè & in actu signato, imò qui cognoscit signum in actu exercito, cognoscit implicitè & exercitè, sed obscurè hanc volitionem; ex qua obscura & valde tenui hujus volitionis cognitione est, quòd interrogatus rudis aliquis, cur hæc vox *homo* significet animal rationale, dicat, se nescire: ad quod tamen aliquantò eruditior dicet: quia sic voluerunt instituentes hoc idioma. Ipse verò author instituens signum, volensque illud esse significativum hujus vel istius rei, non habuit volitionem suam pro objecto, quia non habuit vim significativam signi in actu primo, pro objecto, sed ipsam actualem manifestationem, sive ipsam audientium & videntium intellectuēm excitatam actu à tali signo, seu vim significativam signi in actu secundo; si tamen hic author habuit hanc volitionem: *volo, ut hoc illud significet dependenter à voluntate mea*: includitur duplex volitio, una directa, quæ dicit: *volo, ut hæc vox hoc significet: alteram re-*

flexam,

flexam habet, quâ dicit: *volo, ut illud faciat dependenter à mea voluntate*: & sic reflectit se supra priorem suam volitionem: vel dic, eandem volitionem directè ferri in actualem significationem, abstrahendo an ea fiat dependenter à sua voluntate, & indirectè habere seipsum pro objecto, qualiter multæ volitiones habent se pro objecto, v. g. hæc, quâ Princeps dicit subdito; *volo, ut dependenter ab hac mea volitione sis judex*. Sic itaque signum est concretum, in recto seu pro materiali dicens rem, quæ signum est, in obliquo vim significativam, id est, voluntatem authoris, quæ voluntas utique entitati signi est extrinseca, ipsi verò huic concreto intrinseca.

III. Voces inarticulatæ animalium pleræque; non tantum in levamen aut exultatione naturæ sunt institutæ, sed etiam signa naturalia sunt doloris & lætitiae, ut gemitus, ejulatus. Voces articulatæ hominū signa naturalia nō sunt objectorum (signa enim naturalia apud omnes gentes sunt communia & eadē, quales non sunt voces) sed ad placitum; quare dum Adam omnia dicitur appellasse nominibus suis, intelligendum non est, illū ea appellasse

D nomi-